



47365/B





Digitized by the Internet Archive
in 2019 with funding from
Wellcome Library

<https://archive.org/details/b30515725>

63041

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA

DE

MASTICATIONE
FOLIORVM TABACI,

OF

CHAWING TOBACCO,
IN ANGLIA USITATA,

QVAM

PRÆSIDE

D. JOANNE JUNCKERO

PROFESSORE MEDICINAE PVBLICO OR-
DINARIO,

PRO GRADV DOCTORIS

AD D. AVGVST. ANNO MDCCXLIV.

PVBLICE DEFENDET

AVCTOR

JOANNES GODOFREDVS SCHVLZE

HALENS. SALIC.

HALAE MAGDEBVRGICAE

Typis IOANNIS CHRISTIANI HILLIGERI, Acad. Typogr.

1744

MASSTON

FOLIO 1

CHAMBERLAIN

1818

UNIVERSITY

D. JOHNSON

PROFESSOR

PHYSICIAN

1818

JOHNSON



VIRO

**AMPLISSIMO, EXCELLENTISSIMO, EXPERIENTISSIMO
NEC NON DOCTISSIMO**

DOMINO

**JOANNI HEINRICO
HAMPIO,**

**MEDICINAE DOCTORI LONDINENSI CELE-
BERRIMO,**

**SERENISSIMAE REGIAE PRINCIPI WALLIAE, AR-
CHIATRO VIGILANTISSIMO,**

**ANGLICANAE SOCIETATIS SCIENTIARVM SOCIETATIS-
QVE ANTIQVITATVM ANGLICARVM ET COL-
LEGII MEDICI LONDINENSIS MEMBRO
SPECTATISSIMO,**

FAVTORI ET AMICO SVO

ÆSTVMANTISSIMO.

SVB VOTIS SINCERIS,
OMNIGENAE PROSPERITATIS,
ET
PERPETVAE FELICITATIS,
IN CONTINUAM GRATI SVI ANIMI TESSERAM,
OB AMICAM ET BENEVOLENTEM
PER MVLTOS ANNOS LONDINI
COGNITAM SINCERITATEM ET PROPENSIONEM
EO QVO DECET
AMORIS ET AESTIMATIONIS
AFFECTV
DISSERTATIONEM HANC INAVGVRALEM
OFFERT ET DICAT
AVCTOR.



PROOEMIUM.



Nihil usitatus, nihil frequentius, in Anglia, Scotia, Hibernia, Hollandia & in maritimis locis Galliaë, præcipue vero in regionibus, mari septentrionali & magno Oceano, adjacentibus, esse, quam illum masticatorium usum foliorum Tabaci, unus quisque, qui in quadam ex

his nominatis provinciis præsens fuit, observatum habebit certissime. Magno in Emporio Londinensi, prope navium portum seu stationem, at the key, non solum nautas, sea faring men, & milites, sed etiam omnis generis omnisque ordinis & omnis conditionis homines, tam in plataeis quam in templis sacris & in aliis locis publicis, videbis, illorum permultos continue herbam Tabaci in ore tenere, & non nullos in tanta quantitate, ut genæ inflatæ appareant, maximoque cum oblectamento hanc herbam masticare. Mihi obvenit, cum post aliquot septimanas adventus mei, Londini, ludis publicis inter essem, ad latus nobilioris conditionis hominis sedens, ut mihi offerret pixin suam Tabaco fumario impletam, valde miratus, cum
bene

bene scirem : minime moris neque spectatoribus licitum esse, in ludis publicis fumare, comiter itaque renitens, vidi ipsum, pugillos aliquot hujus herbæ in os mittere & per totum ludi tempus optimo cum appetitu linguæ ope volvere & revolvere. Ex amicis meis postea rationem quærenti respondebant: communis usus & maximæ utilitatis in maritimis locis esse, hac masticatione foliorum Tabaci frui. Verum enim vero non modo, uti dictum est, inter plebejos & infimæ conditionis homines, hanc consuetudinem, masticandi herbam Tabaci, in Anglia introductam, sed quoque inter illustrioris stemmatis personas valde usitatam esse, etiam ex hoc exemplo perspicui potest. Ipsa enim diva regina Carolina, magnæ Britannia decus, omni-

omnium artium & scientiarum cul-
trix & patrona, solebat quovis ma-
tutino tempore per semi horam liben-
ter hoc more uti: mox enim e lecto
egressa, folia aliquot Tabaci Virgini-
ensis, anglice dicti pig dail, dentibus
imponebat, salivam sedulo exspuens.
Quæ tabaci species præcipue a sensi-
bilibioribus subjectis, e. g. a feminis &
infantibus, in Anglia ob eam ratio-
nem eligitur, quia amœnioris & sua-
vioris gustus atque temperantioris in-
dolis est ordinario nostro Tabaco.
Immo in Germania jam mihi cogni-
tæ sunt personæ illustrissimæ, quæ pa-
ri modo qualibet hora matutina folia
aliquot hujus herbæ in ore per tem-
pus tenent & optimo cum fructu u-
surpant. Quoniam itaque tam in An-
glia, Hollandia quam in aliis regioni-
bus

bus hoc masticatorium remedium usu receptum est, animo permotus sum, disquisitionis inauguralis loco, contemplationem ulteriorem & observationem ampliore de eo instituere. Deus sapientissimus faxit, ut propositum meum ad ipsius gloriam & proximi utilitatem cedat.

§. I.

FRANCISCUS DRAECK natione Anglus, cujus progenies adhuc in comitatu Huntingtoniensi, in Huntingtongshire, floret, Capitaneus navis mercatoriae & in re nautica versatissimus, in Virgineam, Carolinam ad Terras regni Floridae & Canadae saepius navigans, omnium primus saeculi praeteriti fuit, qui ex Indiis Occidentalibus in tanta abundantia non solum sic dictam herbam nicotianam, sed etiam ipsius semen in Angliam attulit. Angli hanc ob causam illius nomen & memoriam magni aestimant, quoniam Tabaci mercatura tantum emolumentum, quantum concipi po-

test maximum, reipublicæ Anglicanæ concessit; Mercatores Londinenses enim in præsentia Tabaci Virginienſis monopolium exercentes, inde divitias magnas congeſſerunt & vectigali Londinenſi, to the Custom House, ex hoc commercio ſunt redditus annui multarum librarum ſterlingarum.

§. II.

Proprie Tabacum ab Inſula *Tabago* ſeu *Tabaco* in regno *Florida* ſita, Anglorum regno ſubjecta, & hujus herbæ fertiliffima, nomen ſuum traxit. Alias etiam herba *nicotiana* appellatur, a JOANNE NICOTIO, regis Galliæ legato, qui regiſſæ ſuæ CATHARINÆ ex domo Medices, hanc plantam ex Luſitania tranſmiſit, quam ob rem hæc herba quoque *herba regina* in *Gallia* per longum tempus fuit vocata. A Cardinali a SANCTA CRUCE, qui primus hanc herbam *Romæ* coluit, herbæ *ſanctæ crucis* nomen in *Italia* accepit; a pluribus herba *ſacra*, herba *ſancta*, herba *divina*, ob divinas & mirandas virtutes, prædicatur.

§. III.

In *Indiis Occidentalibus* hæc planta plerum.

rumque sponte & sine cultura provenit, folia habens multa, plus minus ampla, aliquo modo longa, succo plenissima: summis in ramis hæc planta flores gestat ex albo purpurascens, odorem non ingratum spirantes, semen generat minutissimum, coloris fusci & nigricantis, cum semine papaveris magnitudine & sapore fere conveniens. Conferantur JOANNIS CRYSTOST. MAGNENI *Exercitationes de Tabaco Amstelod. 1669.* Nunc in multis regionibus Europæ industria & cultura hæc herba colitur & plantatur, utpote in *Anglia, Scotia, Hollandia, Hispania, Italia,* præ reliquis in *Germania, circa Bremam, Berolinum & Hanoviam,*

§. IV.

Virginense autem Tabacum, quod in *Magna Britannia* præ omnibus speciebus principem locum occupat & ubique præfertur, colore subfusco & castaneo gaudens, spirat quidem odorem volatilem, sed minime ingratum, foeno scilicet recenti simillimum & mastigando linguæ saporem mixtum ex amaricante, sub acri & subpingui imprimi.

§. V.

Hæc sola est species, quæ in *Anglia* mercatoribus publice vendi licita, nempe sic dictum *Tabacum Canaster*, omnes autem aliæ species inveni & distrahi publico edicto *by a Act of Parliament*, prohibitæ sunt. Inde *Tabacum Virginiense* tam ad fumandum quam ad masticandum solum modo adhibetur. Masticandi vero scopo, delicatorum & sensibilibus subjectorum causa, folia hujus herbæ tenerissima seliguntur & in formam caudæ porcelli rediguntur, inde anglico idiomate, *pig-dail*, auditur, atque certissime hæc folia temperationis & suavioris indolis sunt & masticationi nostræ maxime propria.

§. VI.

Originem hujus usus masticatorii *Virginia* & *Carolina* incolis debet *Anglia*; & hæc observantia atque consuetudo in principio hujus sæculi primum in *Magna Britannia* innotuit, populis vero *Americanis*, præcipue istis versus regionem septentrionalem viventibus, jam diu cognita fuit, herba *Tabaci* enim illis ad omnes affectus serofos, lymphaticos, putridos, scorbuticos, tractandos & ad ulcera atque vulnera quæ

quæcunque sananda, tanquam Panacea, infervit. Naucleri Anglicani navigationem & mercaturam in talibus terris excercentes, usum medicinalem hujus herbæ perspexerunt, assumerunt hunc morem & in Patria reddiderunt publicum.

§. VII.

Sub masticatione foliorum Tabaci intelligimus: tenere aliquot folia hujus herbæ in ore & linguæ ope volvendo & revolvendo masticare, ut per hoc remedium non tantum saliva in ductibus & glandulis salivalibus fluida reddatur, sed etiam illa materia mucido-ferosa, dentium lacunis & linguæ fauciumque regionibus adhærens, resolvatur & abstergatur, inde quoque caries dentium præcaveatur, halitus purus ex ore spiretur, totaque lymphæ depravata corrigatur.

§. VIII.

Differt vero hoc masticatorium seu apoplegmatizans remedium a salivatione ut species a genere: illud enim tantum illum laticem evacuat, qui circa oris regionem reperitur, hæc vero per heroica, tam externe quam interne,

adhibita , remedia humores totius massæ sanguineæ alterat.

§. IX.

Apophlegmatizantem vero virtutem Folia Tabaci tali modo exserunt : Substantia hujus herbæ uti consistit ex particulis salinis acrioribus, volatilibus sulphureo oleosis, ita hoc sal acre, ob tenuitatem & acredinem suam, penetrando & vellicando vasa excretoria glandularum salivalium afficit, simulque in consensum trahit tunicas nerveas ; quæ molestia sensum vitalem excitat , ut ad stimulum istum acriorem infringendum & demulcendum humores copiosius ad fauces congerat.

§. X.

Minime quidem inficiandum est , in aliquibus subjectis, præprimis in valde sensibilibus, vulgarem herbam Tabaci, ob acriorem salinam & aliquo modo narcoticam indolem, anxietates cardialgicas efficere , si nempe in principio masticationis a salivæ in stomachum deglutione non caveant ; uti fumatio pariratione ab initio talia incommoda exserit : his tamen symptomatibus facile obviam ire possunt,

sunt,

sunt, qui haustum vini calidi aut aquæ aromaticæ sumunt, & quod probe notandum, matutino tempore, ventriculo adhuc jejuno, hanc masticationem celebrant.

§. XI.

E contrario si Folia *Virginiana* vocata, *pig dail* §. V. quæ gratiorem & leniorem gustum habent, quam Tabacus noster ordinarius, eliguntur & dentibus imponuntur; rarissime talia symptomata cardialigica sentiuntur, sed a compluribus adeo grata ac accepta ducuntur, ac si herbam salviæ dentibus mastiarent. Quoniam vero hæc folia, *pig dail*, adhuc apud nos rariora, nisi ex *Bremensi* & *Hamburgensi* urbibus ad nos deportentur, commode folia teneriora nostri Tabaci in subsidium trahi possunt.

§. XII.

Herba *Nicotiana* tali modo usitata, laudem maximam meretur in talibus affectibus, qui mucidam acido-ferosam, biliosam, putredinosam & scorbuticam materiam aut pituitam tenacem pro fundamento habent, & quidem ob vires abstergentes, resolventes, antacidæ, temperantes atque balsamicas.

§. XIII.

§. XIII.

Profecto, quid hic usus masticatorius præstet in dentium affectibus, & quidem a causis doloris idiopathici provenientes, in Anglia omnibus notissimum est. Juvenes enim ibi acida largius adsumunt, pyra & poma aliosque fructus fere crudos & immaturos edere maximopere amant; ideoque facillime arrosione & carie dentium laborant; namque acidum illud substantiam nerveam internam dentium stimulat & sic multos dolores efficit. Tabaci vero folia, in ore detenta & masticata, non solum materiam illam acidam, cariem dentium inducentem, infringunt & abstergunt, sed etiam vi anodyna nervino-balsamica, dolores mitigant & sedant, insuper dentes salvos, firmos & albicantes reddunt, laxitatem, vacillationem & disjunctionem præcavent.

§. XIV.

In foetore oris, qui partim a carie dentium, partim ab impuritatibus acido mucidis dentibus adhærentibus, partim ab ulcere oris interni, partim a cruentatione & exulceratione gingivarum, dum ulcerosa saniosa materia faucibus impacta est, originem suam habet, ut præclarum

clarum remedium ordinatur: materiam enim talem nauseabundum odorem spargentem corrigit & abstergit.

§. XV.

Egregii etiam effectus est in *Coryza*, quæ a stagnatione humorum seroso-lymphaticorum in glandulis ortum suum trahit: nam ob salino-acrem virtutem, obstructos ductus aperit & impeditum fluidi fluxum restituit, mucositate conciliando.

§. XVI.

Neque utilitate caret masticatio nostra in raucedine a constrictione partium aortæ glandulosarum & hinc dependente interceptione Lymphæ asperam arteriam humectantis, originem ducente, aperientem enim acrimoniamque abstergentem & leviter relaxantem effectum producit.

§. XVII.

Cui usui accedit, quod illi, qui hoc apophlegmatizante remedio adsueti sunt, raro de obstructione alvina conquerantur sed semper alvum laxam sentiant. Inde tanquam salubre

C

benefi-

beneficium in obstructionibus mucidis viscerum maximeque vero intestinorum prædicatur, dum acido-biliosam saburram, in ventriculo & intestinis insidentem, aperiendo & resolvendo, ex salino-sulphurei principii ratione, per alvum educit.

§. XVIII.

Porro ad asthma humerosum & tussim humidam, imo quoque ad omnes pectoris affectus, a tenaci pituita oriundos, tollendos, decantatur: quippe materiam illam viscidam, quæ in vesiculis pulmonalibus hæret, optime resolvit & ad faciliorem ejectionem idoneam reddit. Præfertur itaque consuetudo masticatoria laudatæ isti destillatæ aquæ, quæ in pharmacopæis anglicanis ex foliis Tabaci præparatur, & tanquam optimum expectorans laudatur.

§. XIX.

Nec silentio prætermittendum est, quantum commendabile & quantum salubre auxilium nostra masticatio foliorum Tabaci exserat in pertinacissimis morbis navigantium, præ cæteris in graviore affectu scorbuti. Qua-

re hic affectus, qui in maritimis locis ad modum cognitus & navigantibus perniciosus est, tam curative quam præservative in *Indiis Occidentalibus* & in regionibus *Europæis*, cum masticatorio nostro tractatur.

§. XX.

Quod attinet ad morbosas, de quibus supra dictum est, navigantium afflictiones: scorbutum præ cæteris in considerationem trahere, mihi erit necesse. Est scilicet scorbutus, morbus, qui a corruptis sanguineo - lymphaticis semi putridis humoribus, originem suam ducit; qua ex causa præcipue gingivæ & partes oris interni infestantur, cruentant & ulcero - saniosa materia infarctæ apparent; talia subjecta quoque halitum foetidum & odorem oris pessimum exspirant, interdum etiam ulceribus ichorosis, livescentibus, circa os externum gravantur, lassitudinem omnium membrorum viriumque prostrationem conqueruntur, dolores æstuanres, gravativos & arthriticos sentiunt, atque tumoribus, imprimis pedum, œdematosis incedunt.

§. XX.

Vocabulum scorbuti igitur minime in sen-

su generaliori sumendum est, sicuti apud nos in Germania vulgus, plerumque sub verbo scorbuti, quemcunque statum morbosum exprimit & indicat, ita dicens *der Mensch hat scorbutisches Geblüth*, uti apud Anglos pari modo inter plebejos, semper tempestas & alteratio aëris, tanquam sola causa omnium effectuum & morborum allegatur, ita idiomate anglicano sese exprimentes: *he catched cold, he got a cold*. Sed sumimus vocabulum scorbuti in sensu proprio §. præcedente explicato.

§. XXII.

Nulla modo veritati repugnare locis in maritimis scorbuticos abundanter inveniri, *Londini, Amstelodami, Roterodami*, observari præcipue potest: namque in navibus, ex Indiis occidentalibus ex marique mediterraneo advenientibus, plurima pars navitarum plerumque hoc morbo infecta est. Anno MDCCXXXIX navem Turcicam, *Smirna* venientem, in portum anglicanum *Gravesand*, se recipere vidi, in qua dimidia pars nautarum affectu scorbutico laborabat; multi enim tumoribus pedum incedebant, in aliorum facie maculæ scorbuticæ apparebant, nonnulli au-
tem

tem contracturam & ariduram membrorum maxime accusabant.

§. XXIII.

Sed quid mirum est! Tales enim homines, in navibus viventes, omni tempore aeri humido, falsis acribus marinis particulis inquinato, subjecti sunt, & præterea diæta plerumque crassa salsa crudaque utuntur; scilicet piscibus in sole exsiccatis, carnibus salitis & fumo induratis, aquam quoque impuram bibere sæpius coguntur, interdum spirituosis & fortibus liquoribus nimis fruuntur, &, quod omnium maximum est, vitæ genus magis quietum quam laboriosum agere debent. Quibus ex causis non potest non, quin spissitudo humorum & eorum corruptio subsequatur.

§. XXIV.

Nulla autem regio nullaque terra, versus plagam septentrionalem sita, ob vapores & exhalationes densas & graves, afflictionibus scorbuticis magis vexata & onerata est, quam *Florida, Canada*, præ reliquis quoque *Virginea & Carolina*; hanc ob rem incolæ harum provinciarum necessitate commoti sunt, anti-

scorbutica præstantiora ad morbum hunc communem tollendum investigare; inter quæ *herba nicotiana in forma decocti* ad scopum vomitorium, & postea *masticata* ad totam lympham corrigendam apud eos palmam gerit, & præ omnibus antiscorbutici optimi effectum præstat.

§. XV.

Habemus hæc ex relatione eorum, qui mercaturæ causa ad illas regiones navigando ibique morando, pari modo calamitatibus scorbuticis afflicti, hoc efficacissimo remedio usi sunt, & observantiam illius in *Magnam Britanniam* propagarunt: Quod adeo usitatum est hodie, ut in Anglia non modo ad præcavendum scorbutum, sed etiam ad alios morbos *masticatio Tabaci* adhibeatur.

§. XXVI.

Quemadmodum autem §. XXV. demonstratum & observantia probatum est, navigantes & populos mari propinquos scorbutu affigi: ita nunc ad specialiora mihi properandum, & paucis verbis de *ulcerationibus scorbuticis, stomacace & scabie sicca* nautarum agendum erit.

§. XXVII.

§. XXVII.

Qui vitam in navibus agendo, longinquis itineribus per mare transeunt, & tempestate ac diæta nautica (§. XXIV.) frui tenentur, spissos inde & viscidos humores, metastales, tumores & indurationes crurum, quæ sæpe in ulcera scorbutica abeunt, facile reportant; quibus incommodis ante eruptionem, pruritus, ardores, dolores spastici & arthritici præcedunt. Quæ ulcera aperta navigantes cum decocto Tabaci externe, tanquam optimo balsamico tractare solent, interne vero herbam masticant, & ad lympham purificandam usurpant.

§. XXVIII.

Nunc *Stomacacen*, tanquam prodromum scorbuti, contemplabimur est. In partibus enim oris externi ulcuscula erumpunt, gingivæ cruentant, dentes denudati & cariosi redduntur, imo interdum ipsorum lapsus contingit. In qua scorbutica afflictione præsentaneum auxilium præbet foliorum Tabaci masticatio; namque folia, dentibus & gingivis imposita, abstergendo & mundificando tam maxillis quam

quam dentibus omnium maxime condu-
cunt.

§. XXIX.

Scorbutici navitæ evadunt ut plurimum
etiam scabiosi, & quidem ordinarie scabie sic-
ca infestantur; quæ licet admodum rebellis sit,
per continuum tamen usum externum Taba-
ci in forma decocti, & per masticationem sa-
nari experientia confirmatum est.

§. XXX.

Ab incolis *novæ Angliæ* succum recentis
herbæ nicotianæ expressum, tanquam vulne-
rarium præstantissimum, in omnibus vulneri-
bus mundificandis & consolidandis adhiberi,
cognitum est: certe enim balsamico suo &
leniente principio profundis vulneribus quo-
vis modo satisfacit, carnemque fungosam,
tanquam lene septicum, aufert. Ad remedia
balsamica & consolidantia a celeberrimo quo-
que Præsidente refertur. Vid. *Conspect. Chirurg.*
Tab. LII. de vulneribus generatim caut. 26.

§. XXXI.

Cæterum ulteriori experientiæ relinquo,
an non etiam usus masticatorius foliorum Ta-
baci

baci extendendus sit ad morbos castrenses curandos. Milites enim in Expeditionibus bellicis pluribus morboſis afflictionibus ſubjectos eſſe, manifeſtum eſt. Semper enim inclementiæ & intemperiei aëris expoſiti, & ſub diu in tabernaculis viventes multis ærumnis atque alterationibus tam corporis quam animi expoſiti ſunt.

§. XXXII.

Quantam perturbationem motuum in noſtro corpore aer humidus, denſus paludinoſus & nubilus efficere ſoleat, probatione non indiget: tranſpiratio enim impeditur & congeſtiones particulares exinde fiunt, & licet milites contra aeris injurias, aquam aduſtam & ſpiritum ardentem bibere toleant, minime tamen offenſiones externas & reſtagnationes humorum evitare poſſunt.

§. XXXIII.

In itinere per tempeſtatis viciffitudines jam refrigerationi jam caloris æſtui ſubjecti, congeſtiones ad caput, ſtagnationes humorum lymphaticorum in glandulis, aliasque
D catarrha-

catarrhales molestias scilicet anginam muscosam, raucitatem, coryzam incurrunt. Quibus incommodis remedium nostrum forte salutare futurum esset.

§. XXXV.

Et quia motus corporis militum plerumque modum superat, imo sæpius excedit, hinc ob nimium sanguinis impulsum & aeris intemperiem sanguinei, ferosi & pituitosi affectus oriuntur, præcipue faucium, vuulæ & tonsillarum afflictiones.

§. XXXIV.

Præterea ob diætam crassam, dum duro & dyspepto victu ut plurimum utuntur, & potulenta corpori noxia sumunt, acres alvi fluxus, dysenteria & morbi biliosi subsequuntur, immo notissimum est, in expeditionibus bellicis quamlibet temporis periodum peculiare morbiferas alterationes conjunctas habere; sic æstivo tempore alii morbi quam autumnali & vernali incastris grassantur.

§. XXXV.

§. XXXV.

In quibus sane omnibus operæ pretium esset, cavendi & avertendi scopo nostrum remedium masticatorium, quod simplex & vilis pretii est, in usum trahere, & quid præstare possit, sedulo prætentari. Plura huic contemplationi addere, minime necesse esse, pro meo instituto arbitror. Deo benignissimo devotissimas grates, pro præstito auxilio demisse referens, precibus impensis contendo, ut labori & officio meo exoptatum ubique successum largiatur.

T A N T V M.



VIRO

PRÆCLARO ATQVE EXIMIE DOCTO

JOANNI GODOFREDO
SCHVLZIO

S. P. D.

PRÆSES.

B*ene & sapienter, de vitæ varietate insigni
sanitatis presidio, CORNELIVS CELSVS*
lib. I. C. 1.: sanus homo, *inquit*, qui & be-
ne valet & suæ spontis est, nullis se obligare le-
gibus debet, ac neque medico, neque iatralip-
ta egere. Hunc oportet varium habere vitæ
genus, modo ruri esse, modo in urbe, sæpius
in agro; nauigare, venari, quiescere interdum,
sed frequentius se exercere. Si quidem igna-
via corpus hebetat, labor firmat; illa matu-
ram senectutem, hic longam adolescentiam
reddit. *Quod sane adeo verum est, ut vix quid*
ad

ad corporis sanitatem adhuc requiri videatur.
Fecundissimum tamen hoc vita genus eruditi non
consumunt inertio otio, sed, quia animus agita-
tione motuque corporis mirum in modum excita-
tur, semper versantur inter eruditos, & doctis
sermonibus & diem & vesperam extendunt; me-
ditantur, legunt, scribunt, enotantque, ut die amif-
so si interdum ex negotiis manus vacuas, plenas
tamen ceras reportent. Quæ omnia egregie præ-
stitisti, CANDIDATE dignissime. Decem enim,
& quod excurrit, annorum est intervallum, quo
studii medici cursum digne absolvisti, neque ta-
men, post triennium academicum, ut mos secum
alias fert, properasti, ut obtineres summos in me-
dicina honores. Itinera suscepisti, non ut corpo-
ris solum, ex mente CELSI, sanitatem obfirma-
res, sed & ut more veterum peregrinatione scien-
tiam, quam in arte medica egregiam TIBI com-
parasti, magis ac magis auferes. Testis est
Anglia, fecunda illa eruditorum nutrix, quæ TE
per septem annos scientiis uberrime aluit. Testis
quoque est Serenissima SERVESTANA AV-
LA, cuius TV quoque iatrus aulicus a PRIN-
CIPES

CIPER clementissimo vocatus es atque electus.
Summe dignus tandem accedis ad cathedram, &
que diu meruisti, nunc demum recipis priuile-
gia artis medicæ dæteralia. Est itaque omni-
no, *CANDIDATE* dignissime quod *TIBI* gra-
tuler; quodque eo lubentius facio, quo maturio-
rem laudem *TVAM* fore video. Caterum, quod
Deus omnipotens in omen dertat, etiam atque
etiam opto, ut omnibus conatibus *TVIS* felix
successus respondeat, & votis *TVIS* Numen ad-
spiret, Vale. Dabam Hale
clccclxxxiiii.

Folia Tabaci sunt, quorum laus Tibi curæ est,
Quæque Tuum nomen magnificantque decus.
Ufus vulgares Güntherque Poeta canebat,
De medicis, medica scripta caterva dedit.
Tabaci laudes defectas Schulzius addit,
Sic Tuus hoc scripto accumulatur honos,
Ufus Tabaci tantisper permanet ille,

Tam grandis, Schulzi, nunc Tibi fama, diu.
Nam manus Hygeinæ cingit Tua tempora lauro,
Quoque diu dignus, jureque nunc tribuit
Sic faciunt Dii, Procerum sic conclamat agmen:
Et quid ego, Schulzi? clamito, Doctor Io!
Vota ferunt cives, civis ego protinus adsum,
Inceptisque Tuis omnia fausta precor.

*Hæc lauro Prænobilissimi, nec non Doctissimi
Domini Doctorandi, Civis & Amici mei in-
tegerrimi cum faustis omnibus adnectere
voluit*

GOTTHILF AVGVSTVS HOSSE,

Halens. Salic.

Med. Cand. Oppon.

Züngst legte ich mit DZK des Fleißes Proben ab,
Als unsrer Lehrer Mund uns was zu rathen
gab

Und weil Du es geschickt, was Sie gefragt ge-
troffen,

So wirst Du nun gecrönt, ich aber wills noch
hoffen,

So

So folget endlich doch auf unverdroßnen Fleiß
Auf redliches Bemühen ein ächter Ruhm und
Preis:
Hygäa bringt DER FREUND den Doctor-Hut
entgegen
Und will auf diesen noch viel Glück zur praxi legen.

Joh. Andr. Stange,

Hal. Med. Cand.



